

omnia propria manu legeres et inquirereres. Expecto jam quotidie videre aliquam enatam; utinam nonnulla ad minimum germinarent. De Cassiis et Mimosis affinisque minus dubito, cum ista ferant aetatem et calorem.

Fac ut sciam quomodo Tua opera procedant, quaeso eas non committas tempori dubio incerto et lubrico; placent etiam magis recentia, quam antiqua. utinam dum viverem Tua videre possem edita in artis tam insigne augmentum et ornamentum.

Includo folium plantae Bryoniae instar nascentis, caule subligioso, et parte inferiore perenni, quae per plures annos fuit horti nostri alumna, at numquam floruit. hanc si noveris me eam doceas. an *Trichosanthis* species? folia subtus punctis aliquot liquorem secernentibus adpersa sunt.

Ex seminibus Tuis Europaeis variae mihi enatae sunt plantae; at vero ex iis indicis, quas in Epistola misisti, paucissimae.

An non prodierit vestra nova Flora? fac ut sciam quas novas contineat? quid in ea novi? quomodo eam absolvat?

Hisce diebus accessere Professorum filii *Burmamus* Amstelodamo, *Schreber* Hala, qui ambo acriter Botanicae et toti Historiae naturali operam dant.

Discipulus meus Logie feliciter Algirium accessit, petiturus dein Marocco, si faveat caelum. iter Forskâlei mei in Arabiam dislatum est in mensem Octobrem, utinam tunc feliciori fato quam Donati, qui infelix Alexandriae haeret.

Discipulus meus Alstrómer accessit in Hispaniam quam totam peragrabit, et alius meus Solander Londinum petiit, quorum opera, ut spero, hortus noster ingentem acquirat collectionem rerum naturalium.

Fac ut sciam quodnam genus dixisti Swieteniam in sempiternam memoriam artis nostrae Principis, cui nos debemus omnia Tua, et Te ipsum. devotissima mea officia quaeso ipsi dicas.